ILLVSTRATIONES LEGALES

D. ALFONSI. RAMIREZ DE. PRADO I. C

CVM. PRIVILEGIO

. MADRIDII
EX: TYPOGRAPHIA LVDOVICI. SANCHEZ REGII. TYPOGRAPHI
ANNO: CIↃ. IↃC. XXIV

IN[a] publica commoda peccem, ſi longo ſermone morer tua tempora, ô[b] virtus virorum, & flos veterum! ideò[c] brevè veluti florum corpuſculum feci, quod ad Te non tam cognoſcendi, quàm emẽdandi cauſſa tranſmiſi; ſimul vt & otij mei, cuius & Cato reddendam rationem putat, apud Te conſtaret: quod[d] ſi minus in curia atque in foro præſtiterim, at litteris & libris, vt doctiſsimi veteres fecerunt, quorum inertia[e] pro ſapientia fuit. Et[f] quid faciemus, ſi aliter non poſſumus? [g] Non omnia in ſingulis extant.

a *Horat.lib.2.epiſt.1.*
b *Virg. lib.9.Aeneid.*
c *Iuſtin.in praefat.*
d *Cicer.lib.9.epiſt.2.*
e *Tacit.in vita Agricolae.*
f *Cicero ad Attic.li.2. epiſt.2.*
g *Senec. de benef.li.4. c.27.*

Dextro ſiue cadit, Læuo ſeu TESSERA *iactu,*
CONSILIIS *paret Caſus vterq; minor*

ILLVSTRATIONES
LEGALES
CENTVRIA SECVNDA

I

Cornelius Tacitus lib. 3. Annalium.

AMOR aemulandi validior, quàm poena ex legibus & metus.

Imp. Iuſtinianus Inſt. de Codicillis, in princip.

Et cùm divus Auguſtus voluntatem eius impleſſet, deinceps reliqui eius auctoritatem ſequuti fideicommiſſa praeſtabant, & filia Lentuli, legata, quae iure non debebat, ſoluit.